



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Martinii Tridentini E Societate Jesu Sinicae
Historiae Decas Prima**

Martini, Martino

Monachii, 1658

Decimustertius Imperator. Kinus. Imperavit annis XXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11848

DECIMUS TERTIUS IMPERATOR.
K I N U S.

Imperavit annis XXI.

*Cyclo 14. anno
18. ante Christum
anno 1800.*

Pater nos annos, hoc est, unum & viginti in imperio asseditus est, tranquillo admodum & felici. Neque de hoc quidquam memorabile habetur, nisi quod regnum non optimâ fide acceptum bonis artibus retinuit. Paternæ tamen virtutis commendatio nihil filio ad spem regni ac successionem profuit. Eo enim post parentis obitum præterito, ad justum heredem postliminiò regnandi ordo rediit.

DECIMUS QUARTUS IMPERATOR
C U N G K I A.

Imperavit annis XXXI.

*Cyclo 14. anno
39. ante Christum
anno 1879.*

Tandem imperium bis debitum totiesque præceptum CUNGKIA, ut PUKIANGI filius, obtinuit. Sed post tam diuturnam moram adhuc tamen citius, quam reipublicæ utilitas ferrebat, regnare coepit. Mox enim ut se in eo fastigio collocatum circumspexit, modestiam & frugalitatem penitus dediscens, voluptati se in ipso imperij aditu totum mancipavit, femineo nomini factis etiam consentientibus. Ergo neglecta boni publici ac virtutis curâ, negotia regijs ministris, se verò totum luxui & seminarum amoriibus permisit. Neque pensi quicquam habuit, quales essent, boni an mali, quorum consuetudine gaudebat, contrà quam ab ejus majoribus factitatum; sed cuiusque merita ex adulandi artificio aestimans, eos habuit alijs chariores, qui assentando ipsius flagitia honestis nominibus tegebant. Hinc præcipua munia penes adulatores fuere. Quibus vitijs ad suæ stirpis à regno deinceps demovendæ perniciem viam aperuit. Nam plurimi è regulis beneficiarijs eo contempto tanquam indigno, cui parenterent, palam in eum obsequium exuere cœperunt. Neque sic è eterno